

solius voluntatis, regulariter irrationabilis est, ut statim dicam, quia negotium publicum, ut juste administratur, non tam voluntate quam ratione gubernari debet. Unde, nisi constiterit priorem voluntatem fuisse irrationabilem, non fit honeste mutatio; quando vero etiam dictamen rationis mutatum est, potest esse mutatio legis justa, etiamsi in rebus nulla facta sit. Supponit tantum humanum defectum sæpe inculpabilem, quia homo non statim nec semper assequitur veritatem, præsertim practicam et prudentiæ. Et ita sæpe experientia ostendit legem non fuisse convenientem, etiamsi fuerit lata sine culpa, vel quia, si fuit injusta, lex ignorantia invincibili lata est; vel quia, licet fuerit justa et reputata conveniens, postea experientia compertum est aliam magis expedire. Sic Concilium Tridentinum, sess. 24, cap. 2 et 4 de Reform. Matrimon., ad mutandum leges aliquas circa impedimenta matrimonii, moveri se dicit, quia experientia ostendit aliqua gravia incommoda, quæ ex prioribus legibus sequebantur, quamvis malæ non essent. Aliquando vero fit mutatio in lege, etiamsi suo tempore justa, optima et utilissima fuerit, quia in rebus ipsis facta est mutatio, ratione cujus jam non expedit; et tunc fit justissime, et sine propria seu formali mutatione, seu contrarietate in iudicio rationis, quia prudenter iudicatur aliquid esse conveniens uno tempore, et esse disconveniens in alio, mutatis rebus.

6. *Quæ mutatio sufficit ut lex sit abroganda.* — Non est autem necessarium hanc rerum mutationem tantam esse, ut legem effecerit aut injustam aut prorsus inutilem, sed satis est ut vel nimis rigorosa, vel minus utilis esse videatur; seu, quod major fructus ex ejus revocatione speretur, vel quod majora pericula aut mala illo modo evitentur. Et ita solvitur facile ratio dubitandi in principio posita. Nam, licet ad tollendam vel abrogandam legem causa justa necessaria sit, nihilominus non est necessaria tam urgens et gravis, ut propter illam lex ipsa statim cesset, sicut etiam ad dispensandum requiritur causa justa, quæ per se solam legis obligationem auferre non valet. Neque repugnat abrogationem esse justam, licet lex non fuerit injusta, quia justum etiam potest omitti vel mutari propter magis justum, sicut aliquid etiam omitti potest, quamvis non sit inutile, propter aliud utilius. Ac denique multa hujusmodi sunt quæ ex humano arbitrio pendent ita ut et juste statuuntur, et, si derogentur, injustitia non fiat, quia prudenti

aliqua ratione abrogari possunt, ut Covar. citato loco advertit.

7. *Peculiaris assistentia Spiritus Sancti in Ecclesia.* — Ex hac vero assertionem intulit Soto, lib. 1 de Justit., q. 71, a. 1, in fin., summum Pontificem non posse errare, in abrogandis legibus canonicis sine justa causa, quando leges illæ necessariæ sunt populo christiano, quia non potest errare in his quæ ad fidem et mores pertinent. Quod est pie et prudenter dictum quantum ad leges quasi fundamentales, et maxime necessarias, et quantum ad universalem abrogationem earum. Est autem sciendum Pontificem non posse errare in ferendis legibus, approbando, seu proponendo Ecclesiæ quod malum est, vel bonis moribus contrarium. Et cum eadem proportionem non potest errare abrogando legem, reprobando tanquam malum quod bonum est, vel bonis moribus utile. Potest tamen aliquando esse excessus in multitudine legum, quia hoc pendet ex prudentia humana in particulari judicante. Et eadem proportionem possent leges nimium diminui, vel aliqua abrogari eo tempore quo erat utilis, quia hoc etiam pendet in particulari ex arbitrio prudentiali. Nunquam tamen, ita providente Spiritu Sancto, id fiet cum notabili Ecclesiæ detrimento.

8. Atque ex his potest facile intelligi utrum legis mutatio, ut licita sit, debeat esse rara, et longo tempore post legem latam. Et ratio dubitandi esse potest, quia lex non debet poni ut modico tempore duret, ut dixit D. Thomas 1. 2, quæst. 96, art. 1; et patet, quia supra ostensum est legem de se debere esse perpetuam; ergo non debet intra breve tempus mutari. Item quia, ut supra dicebamus, consuetudo est necessaria ad firmandam legem; talis autem consuetudo requirit diuturnum tempus; ergo ratio postulat ut intra breve tempus mutatio legis non fiat. Præterea hæc mutatio legis tunc præcipue recte fit, quando experimento constat legem non expedire; hoc autem experimentum non nisi longo tempore sumitur. Denique, ob has et similes rationes frequens mutatio legum communiter perniciose censetur; ergo oportet ut leges non nisi post longum tempus mutantur, ne hujusmodi mutatio frequenter contingat.

9. *Quoties justa causa contingit, justa erit mutatio.* — Breviter autem dicendum est in hoc non posse certam et universalem regulam constitui. Cum enim dictum sit legem ex justa causa juste mutari, quotiescumque causa justa contingat, justa erit mutatio, sive sit post

breve, sive post longum tempus a lege condita: nam hoc accidentarium est, et utrumque sine dubio potest contingere. Regulariter vero loquendo, sicut est vitanda, ita etiam est differenda mutatio, quantum fieri possit. Unde in casu dubio, vel tantum probabili, et quoties utrinque sit æqualitas, conservanda potius est lex quam mutanda, tum quia postquam est lata, quasi est in possessione, et in dubio melior est conditio possidentis; tum etiam quia semper præponderat damnum mutationis, et hoc etiam suadent rationes factæ. Nihilominus tamen duabus ex causis fieri potest justa mutatio legis intra breve tempus. Primo, si ex aliquo errore, vel inconsideratione, sive culpabili, sive inculpabili lata sit; nam error, quocumque tempore cognoscatur, emendandus est, et præsertim quando in commune incommodum redundare potest. Secundo, quando legum materia multum variabilis est, ut contingit in legibus taxantibus pretia rerum, quia valor earum ex copia vel inopia earum pendet, et in his solet esse frequens mutatio propter frequentem temporum varietatem. In his ergo legibus non erit injusta nec imprudens mutatio, etiamsi frequenter fiat. Et ob eandem causam potest mutatio fieri intra breve tempus, ut intra annum, propter accidentem sterilitatem, vel intra brevius tempus, si ex aliquo casu contingente similis mutatio fiat.

10. Ultimo, dicendum est abrogationem legis humanæ, a supremo principe factam sine causa legitima, validam esse, licet injuste fiat. Dixi a supremo principe, quia, si fiat ab aliquo inferiori ex commissione ejus, invalida iudicanda erit talis abrogatio, propter supra dicta de dispensatione, quæ hic evidentius procedunt, quia vel hæc potestas non solet committi inferioribus, vel non nisi per modum dispensationis, vel ad summum per modum partialis revocationis, de qua eadem est ratio. Ideoque de solo principe solet ista conclusio statui, quæ communis est, et ab illis etiam auctoribus admittitur, qui similem de dispensatione negant. Ratio autem eadem est, quia legis obligatio pendet ex voluntate principis; voluntas autem illa, licet mala sit, absoluta et efficax est; ergo tollit imperium et obligationem. Dices: voluntas ponendi legem sine justa causa non facit legem validam, etiamsi ex parte legislatoris sit absoluta, quia non potest quidquid vult; ergo idem est e contrario.

11. Respondetur negando consequentiam, quia multo difficilius est imponere quam tollere leges. Nam, si impositio sit injusta, aut

erit de materia cui repugnet obligatio legis humanæ, ut si sit de re iniqua; aut certe erit de materia quæ excedat potestatem, sine qua voluntas nihil potest efficere. At vero, ad auferendam vel impediendam legis obligationem (quod fit per abrogationem legis), non potest materia conferre, quia, quantumcumque sit bona et honesta, potest non adjungi illi obligatio humana; vel, licet sit intrinsece mala, potest non addi prohibitio humana. Et quantumvis contineatur sub potestate legislatoris, potest ipsa circa illam non operari, quia illa potestas non agit naturaliter, sed media voluntate. Si autem non operetur, non obligabit, etiamsi ipse peccet. Denique hinc etiam fit ut, ponendo legem injustam, peccet contra justitiam, et non tantum legalem, sed etiam commutativam; tollendo autem legem justam, non facit contra justitiam commutativam singulorum subditorum, et ideo valida est obligatio, licet imprudens sit, et contra justitiam legalem.

## CAPUT XXVI.

## QUIS POSSIT LEGEM ABROGARE.

1. *Conditor legis legem abrogare potest.* — In præcedenti capite, et materiam hujus abrogationis et causam finalem attigimus; in hoc efficiens causa breviter explicanda est, de qua tres regulæ constitui possunt. Prima est: conditor legis illam abrogare potest. Ratio est clara, quia res per quas nascitur, per easdem dissolvitur; sed voluntas et potestas legislatoris sunt principia a quibus lex pendet; ergo per ea potest abrogari. Atque ita maxime procedit assertio in supremo principe, qui superiorem in suo ordine non recognoscit, et ideo semper habet eandem potestatem, et mutare potest voluntatem. Sub conditore autem legis successorem comprehendimus, quia ejusdem est potestatis, argumento cap. *Innotuit*, de Elect., et sumitur ex cap. 1 de Constitut., in 6. Estque res facilis, et cum proportionem applicari potest ad inferiores legislatores; an vero in eis recipiat aliquam limitationem, paulo inferius dicam.

2. *Superior legem inferioris abrogare potest.* — Secunda regula est: superior etiam potest legem inferioris abrogare. Est etiam recepta et facilis, quia res magis pendet a causa universali quam a proxima: lex autem inferioris pendet a superiori tanquam ab universali causa: ergo. Item hac ratione diximus posse superiorem dispensare in lege inferioris: ergo et

legem illius abrogare potest, nam est eadem ratio. Imo potestas legislativa ex suo genere est magis propria supremi principis, quam dispensativa, et ideo magis etiam est in inferiori dependenter a supremo principe, ideoque semper hic potest legem subditi abrogare. Hac vero occasione, potest hic dubitari an lex ecclesiastica possit civilem abrogare, etiamsi a supremo principe temporali lata sit, quia lex canonica superioris potestatis est. Sed quæ de hoc puncto dici poterant, in tertio et quarto libro dicta sunt, explicando subordinationem utriusque potestatis.

3. *Quomodo lex civilis legi canonicæ sit subordinata.*—Dicendum ergo legem canonicam et civilem, absolute spectatas, non habere inter se subordinationem; nam, licet canonica sit dignior, formaliter non est a superiori jurisdictione; nam etiam civilis est suprema in suo ordine. Nihilominus tamen in ordine ad bonum animæ, lex civilis subordinatur ecclesiasticæ, et ideo sub hoc respectu hæc potest illam abrogare; hoc autem contingit duplici titulo. Unus est, si lex civilis versetur circa materiam, quæ, licet secundum se temporalis videatur, ad spiritualem ordinem everta est, ut est contractus matrimonii, dispositio ad pias causas, bona ecclesiastica, et similia. Alius est, si lex civilis etiam in propria materia sit contra bonos mores, vel inferat periculum animæ, et utroque modo inveniuntur leges civiles, per ecclesiasticas vel reprobatae tanquam per se malæ, vel etiam abrogatae tanquam minus convenientes, quas hic referre necessarium non judico; videri autem possunt apud Azor. 4 tomo, lib. 5, cap. 20, 21, 25 et 26.

4. *Inferior non potest abrogare legem superioris.*—Tertia regula sit, inferiorem non posse abrogare legem superioris. Ita habetur in Clement. *Ne Romani*, de Elect., et est manifestum ex ratione contraria supra posita, quia potestas superior non pendet ab inferiori, neque indiget illa in his quæ per seipsam facit: nec etiam potest inferioris voluntas voluntatem superioris mutare, ut per se constat, et probari potest ex capit. *Cum inferior*, de Majorit. et obed., estque res per se satis clara: nihilominus tamen duo gravia dubia circa illam occurrunt.

5. Primum dubium est, an inferior possit interdum abrogare legem superioris, saltem in suo territorio, seu in ditione sua. Clarum est enim adæquate et totaliter non posse inferiorem revocare legem superioris, cum inferior non habeat potestatem ordinariam in totam

provinciam superioris, nec etiam delegata soleat tam ampla concedi, quia multum reputat dignitati supremæ ipsius principis. Quod si fingamus superiorem de facto delegare tantam potestatem, jam non fieret revocatio ab inferiore per se, sed in virtute ipsiusmet principis superioris. Igitur de inferioribus habentibus potestatem aliquam legislativam in particularibus civitatibus, provinciis, seu territoriis, dicunt aliqui aliud esse in legibus canonicis, aliud in civilibus. Nam in canonicis non potest inferior statuere in suo territorio contra jus superioris et derogando illi, ut provinciale concilium contra generale, vel Episcopus contra jus pontificium, aut conciliare, generale, aut provinciale, et sic de aliis. At vero (inquunt) in civilibus, inferior civitas, verbi gratia, potest statuere contra jus commune. Ita Panorm. in cap. ult. de Consuet., ubi distinctionem illam ut certam supponit, et rationem diversitatis inquirat. Sequitur Jason. in l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur. Et Felin., in c. *Quod super his*, de Majorit. et obed., n. 2, licet in reddenda differentiæ ratione non conveniat cum Panormit., in distinctione autem convenit. Idem in cap. *Cognoscentes*, n. 2 de Constit. Idem Alberic., tract. de Statut., 1 p., q. 7, ubi late impugnat eos qui dicunt laicos non posse statuere contra jus civile. Item Roch. Curt., tract. de Consuet., sect. 3, n. 7, ubi addit laicos non solum contra civiles leges, sed etiam contra canones posse statuere, quando eorum statuta non sunt peccati nutritiva, ex Felin. et aliis, in cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, de Constit., et Panorm. per illum textum, et in cap. *Quod clericis*, de Foro competenti, in fine, per cap. *Venientes*, de Jurejur. Aliter vero Azor. 1 t., l. 5, c. 25, q. 11, quærens an statuta contra jus commune condita valeant, sine distinctione inter jus civile et canonicum videtur affirmare, idque variis exemplis prosequitur, usque ad finem capituli, et per totum caput sequens varia exempla proponit.

6. Ego vero, nullum video fundamentum ad asserendum inferiores posse per suas leges derogare legibus superiorum, seu municipale posse derogare juri communi, ubi jus commune obligaverit, idemque est de abrogatione, cum proportionem loquendo. Ratio est, quia inferior non habet potestatem supra legem superioris, nisi quatenus illa concessa est ab eodem superiore, vel alio supremam potestatem supra utramque habente; sed nullibi legitur data potestas inferioribus ad statuendum, vel ferendum leges contra leges superiorum, dero-

gando illis: ergo nullus inferior habet hanc potestatem. Consequentia evidens est. Major etiam est per se nota, quia inferior tenetur superiori parere, et ab illo pendet in sua voluntate; ergo non potest ex se mutare voluntatem superioris; ergo nec legem ejus. Unde supra ostendimus non posse dispensare inferiorem in lege superioris, nisi quatenus illi fuerit concessum. Imo, in lib. 3 ostendimus civitates, vel principes non supremos, sed aliis supremis subjectos, non posse leges condere, nisi quatenus illis est privilegio vel consuetudine concessum: ergo multo magis hoc verum est de legibus derogantibus juri ipsorum superiorum, vel ex parte abrogantibus illas. Superest probanda minor, quæ per sequentes illationes melius explicabitur.

7. Sequitur ergo primo, inferiores Prælatos vel communitates ecclesiasticas non posse condere decreta aut statuta contra jus canonicum, vel contra canones suorum superiorum respective. In hoc conveniunt omnes citati doctores, et sumitur ex cap. *Quod super his*, de Majorit. et obed., ubi supponitur Episcopum in sua synodo nihil posse statuere *quod canonicis obviet institutis*. Idem sumitur ex c. *Institutionis*, c. *Amputato*, c. *Ecclesiastica*, 25, quæst. 2, et optime dicta Clement. *Ne Romani*, de Elect. Ratio propria est, quia nullibi legitur inferioribus concessa talis potestas, nec erat expediens, tum propter unionem et debitam subordinationem in Ecclesia servandam; tum etiam quia canones, ex fine maxime proprio, tendunt ad spirituale bonum animarum, et ideo quæ per illos a majoribus condita sunt non ita facile sunt a minoribus mutanda. Omitto specialia privilegia religionum, vel aliquarum Ecclesiarum: illa enim in generali semper intelliguntur excepta, in particulari vero sciri ab omnibus non possunt, cum ad factum seu jus privatum pertineant. Et præterea in eis continetur auctoritas superioris concedentis illa.

8. *Laicos contra canones nihil posse statuere.*—Sequitur secundo, multo minus posse laicos statuere proprie contra canones derogando illis, seu eorum obligationem aliqua ex parte minuendo. Ratio est, quia multo magis inferiores sunt laici respectu omnium legislatorum canonum, quam inferiores Prælati ecclesiastici respectu superiorum, multoque minus legitur laicis data talis potestas: ergo multo minus possunt laici contra quoslibet canones, vel statuta ecclesiastica, etiam infimorum Prælatorum, legem condere, vel eis quovis

modo derogare. Tantumque abest ut oppositum colligatur ex dict. cap. *Ecclesia sanctæ Mariæ*, ut potius ille textus hoc convincat, in quo dicitur laicis nullam esse attributam potestatem super Ecclesiis, et statutum ab eis factum, etiam in favorem Ecclesiarum, nullius esse valoris, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum. Cap. autem *Venientes*, de Jur. jur. non loquitur de statuto municipali, sed de consuetudine, et illa nihil derogabat canonibus, ut in textu manifestum est.

9. *Canonistæ quo sensu intelligendi.*—Unde doctores canonistæ, qui contrario modo loqui videntur, revera non contradicunt, sed in diverso sensu loquuntur. Dicunt enim laicos posse leges ferre contra canones, non secundum propriam contrarietatem, sed secundum proportionem ad suum forum, id est, laicos, in foro civili et temporali, posse contrario modo disponere quam canones in suo foro disponant. Quod verissimum est, quia illi canones non obligant laicos pro foro suo, nec leges illæ derogant canonibus in foro suo. Et ita dixit Panorm. in d. cap. *Quod clericis*, quod leges possunt disponere contra canones in rebus concernentibus ipsos laicos, ubi nec canones legibus resistunt, nec illæ sunt contra honestatem morum, aut contra reservata principi. Et hoc modo etiam canones disponunt contra leges civiles respectu clericorum, alium utique ordinem, et jus statuendo, ut constat in judicialibus et similibus.

10. *Quid magistratus civiles circa jus commune statuere valeant.*—Tertio, infero etiam magistratus civiles, aut respublicas inferiores, et civitates subjectas alicui principi, non posse abrogare, aut quidquam detrudere de jure communi, ut est lex superioris, aliquid proprie contra illam statuendo. Hæc etiam sequitur ex dicto principio, et ex regula textus in dicta Clement. *Ne Romani*, quod lex superioris per legem inferioris mutari non potest. Respondent dicti auctores per ipsum jus commune datam esse hanc potestatem laicis potestatibus inferioribus. Allegant autem solam l. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur. Redduntque rationem, quia imperatores acceperunt potestatem legislativam a populis, et ideo quasi ex gratitudine illis concesserunt illam potestatem. Atque hinc colligunt multi differentiam ob quam laici possunt contra leges imperatorum statuere, et non clerici contra leges Pontificum, nimirum, quia imperator habet potestatem a populo, Pontifex autem minime, sed a Deo.

11. Sed, præterquam quod illa lex *Omnes*